

AUGUSTINER-EREMITEN-KLOSTER S. ERASMI ZU ALTDRESDEN.

No. 409. 1404. 24. Oct.

Pabst Innocentius VII. beauftragt den Abt von Altzelle, falls die von Markgraf Wilhelm beabsichtigte Stiftung eines Augustiner-Eremitenklosters in Altdresden zur Ausführung gelangen sollte, den die Klosterkirche am Tage Erasmi und am Feste der Kirchweihe besuchenden andächtigen und mildthätigen Personen Ablass zu ertheilen.

Innocentius episcopus servus servorum dei dilecto filio . . abbati monasterii Cellensis Misnensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Licet is de cuius munere venit etc. Hodie siquidem pro parte dilectorum filiorum . . prioris provincialis et fratrum ordinis heremitarum sancti Augustini provinciae Thuringiae et Saxoniae secundum morem eiusdem ordinis nobis exposito, quod dilectus filius nobilis vir Wilhelmus marchio Misnensis ex singulari devotione, quam ad ordinem praefatum gerit, quandam aream in suo opido Antiqua Dresden nuncupato Misnensis diocesis consistentem et ad eum legitime pertinentem pro usu et habitatione dictorum fratrum in dei laudem et pro maiori divini cultus augmentatione libere donare eamque pro domo ecclesia et aliis commoditatibus eorundem fratrum cum certis suis bonis ampliare et aptare proponebat, nos priori et fratribus ipsis eandem aream cum aliis domibus locis et bonis eidem areae circumiacentibus, si eis concederentur, recipiendi ac in area ipsa ecclesiam cum campanili campana domibus et aliis necessariis officinis huiusmodi fundandi et construendi seu fundari et construi faciendi ac inibi perpetuo habitandi et commorandi specialem licentiam per alias nostras litteras duximus concedendum, prout in ipsis litteris plenius continetur. Nos igitur cupientes, ut ecclesia eiusdem domus postquam constructa et consecrata fuerit congruis honoribus frequentetur et etiam conservetur et ut Christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem et ad eius conservationem seu fabricam manus porrigant promptius adiutrices, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus postquam ecclesia ipsa constructa et consecrata fuerit ut praefertur omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in festo sancti Erasmi et dedicationis ipsius ecclesiae devote visitaverint annuatim et ad eius conservationem seu fabricam huiusmodi manus adiutrices porrexerint ut